

DEO DUCE!  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
*De*  
**VSV**  
**HISTORIÆ PRO-**  
**VIDENTIÆ DIVINÆ,**

Cujus

PARTEM POSTERIOREM,

*Ex Consensu & approbatione Ampl. Fac. Philos.*  
*in Reg. Academ. Åboënsi,*  
*Sub PRÆSIDIO*

*Viri Maxime Reverendi atque Celeberrimi*

**D.N. JOHANNIS  
BROWALLII,**

S.S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & Ord.  
*Placido pie philoophantium examini,*  
PRO GRADU,

*modeste fuit*

**ISRAEL BROWALLI**

*OSTROBOTNIENSIS.*

die III. X aji, Anni MDCCXLV.

*Horis pomeridianis, loco consueto.*

---

ABOÆ, Excid JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

*François Migeauf impridens Grotta Hildense*

*Præ-Nobilissimo Generosissimoque*  
**D<sub>N</sub>. GUSTAVO  
HELAND,**  
SECRETARIO REGIO solertissime, accuratissimo,  
MÆCENATI MAGNO.

*Generoso atque Nobilissimo,*  
**D<sub>N</sub>. JOHANNI  
HELAND,**  
S:æ R:æ M:ætis  
NOBILI AULICO dignissimo,  
PATRONO BENEVOLENTISSIMO.

**I**noscite, Mæcenas & Patrone, quod No-  
mina Vestra meditatiuncula huic præfigere,  
eandemque Vobis dicare ausim. FAVOR VESTER  
in

in literas literarumque cultiores plane singularis,  
tantum mihi animi addidit: Virtutis quoque  
illa Vestræ excellentia, quam publica celebrat  
fama, veniam Vos hanc mihi datus, meo  
que in clientelam Vestram adoptatus sperare  
jussit. Tenuem igitur hanc opellam, sola argu-  
menti dignitate offerentisque pietate commendabili-  
lem, sereno vultu accipite, ejusdemque gratia  
ac favore Vestro beate auctorem, cuius erit ad  
benignum & providum Numen pro felicitate  
Vestra, nobilissimaque Familia Vestræ perenni  
vota fundere calidisima.

Generosissimorum & Nobilissimorum

NOMINUM VESTRORUM.

Canticum humillimum

ISRAEL BORN.

Dn. Autori,  
Amico suo CANDIDO.

**G**ratulor unanimi mibi consuetudine juro.  
Qui probat ingenium qui l' suada manusque valebit,  
In revelando pie causas, caligine metas,  
Frovida quid sit cura DEI, quem prebet & usum.  
Dignius, hoc sopte, quid doceas, Quid Pulpita Sacra?  
En flores Pindi, en fragrantia mella Zionis.  
Hinc, Epicure, Tibi meliorem collige mentem,  
Insaniens caco tribuis fato orbis habenas.  
Ex nihilo quae res produxit summa Potestas,  
Totque sui statuit testes mundi ipse Monarcha.  
Omnia sustentant se, si se ipsa crearent;  
Illa potentia non minor est quam postera Virtus.  
Maxima cum minimis moderantur in ordine pulcro.  
Omnia presentem convincunt esse Regentem.  
Discite, mortales, cure non fidere vestre:  
Prospicit omne bonum nobis bicce Arbitrus orbis,  
Precipuumque gerit nostri curam DEIIS, & quid  
Quod movet obtusos per tot miracu'a sensus,  
Quod suerare juvat nos montes mille malorum;  
Quod mala convertens sinem jubet esse jucundum,  
Ut cognoscentes curae documenta paterne,  
Clementem summ' celebremus honore Jehovah.  
Talia cum, Mi BJORKE/ doceat Tua Musa perita  
Clara novo post bac dicetur nomine Daphnes

*app'aust*  
**GABRIEL ASPEGREN.**

**P**ostquam, in parte priori, prælibatis non nullis de usu historiæ in genere, necesse sitatem historiæ providentia Divinæ probavimus, eandemque adhuc desiderari notavimus; ad ipsam deinde tractationem accedentes, Numinis dispositionem, rerumque conservacionem ac gubernationem tam in genere, quam præcipue quod ad tria naturæ Regna observavimus, indicavimusq; similis usus quosdam ex melliflua haec doctrina manuantes; sequitur, ut jam ad hominem rerumq; humanarum varias circumstanias nos conferamus. Aperit ictus hic nobis immensus providentia Divi oceanus, in cuius nos litore constituti, myopes licet, infinita observamus sapientiæ & bonitatis Divinæ documenta; quorum hic loci, brevitatis causa, plurimam partem prætereuntes, nonnulla tantum eaque generaliora momenta adducemus. Occurrit autem, omnium primo ho-

trinum Nativitas Non cœco catu in hunc  
nascimur mundum; ducentos circiter annos,  
antequam Cyrus in hanc ederetur lucem, e-  
um suo vocavit DEUS nomine, magnisque  
rebus gerendis destinavit. Et. XLV. & Just. libr.  
I. cap. 4.

Et quamvis tanta, tamque luculenta Provi-  
dentiæ indicia se non manifestent circa omnium  
nativitatem, concludimus tamen, jure merito.  
que cum Celeber. Reinbeckio ex hujuscce mo-  
di exemplis ad benignam DEI Providentiæ  
circa omnium nascendi sortem; cum & æqua-  
sit apud DEUM non natorum hominum con-  
ditio, adeoque æqualis cura, & maximus in-  
tercedat nexus inter circumstantias genit eos &  
subsequens vitæ curriculi. Attentione porro  
dignum est, quod cum mares pluribus ex-  
positi sint periculis quam foeminae, plures et  
iam nascantur; licet propagationi generis hu-  
mani minori eorundem numerus sufficiere videatur.  
Observari præterea meretur providentiæ consili-  
um circa infantum diversa ingenia, quibus omni-  
mode humani generis commodis prospicitur,  
& ex quibus innoteat, quale olim vel ample-

urus sit, vel saltē amplecti debeat unusquisque vītæ genus. Haud proinde inepte Cicerō in Orat. pro L. Man. cap. 14. de Cn. Pompejo pronunciat, quod Divino consilio natus sit ad bella confiēda.

Conecessit DEUS om̄ibus hominib⁹ voluptatem sciendi, & cum aliis, quæ norunt, communiciandi; ita tamen dispensat dotes, ut uetus ad hoc, alter ad aliud functionis genus sit aptissimus; adeo ut omnes artes & scientiæ habeant suos cultores aptos, natos factosque. (\*)

Qui itaque DEI providam curam circa nativitatem suam agnoscere didicit, non queritur se natum esse: hoc tempore & loco, ab hisce & non aliis parentibus; sed DEO O. M. subiectus, consilium eius libenter ac sine murmuratione sequitur, eoque ipso evitat peccata. Jobi, Jeremias, aiorumque, qui natalibus suis maledixerunt, vel cum Polycarpo, sua sorte minus contenti, exclamaverunt: O! DEUS, in que tempora nos reservasti.

Parentes quoque aliive, quorum interest, dum animadvertisunt quibus negotiis Providentia aptum reddidit hunc vel illum infantem, non

eligunt ipsi, invita, quod dicitur, Minerva, vita genus aliud, quam quod cum natura ejus ac indole congruit; quod dum perspexerint, illud ut vocationem venerantur Diuinam; nec ex quovis, ut fertur proverbio, stipite Mercurium singere conanter.

(\*) Morhoff. Polyb. libr. I. cap. 12. §. 2.  
 Sunt, qui fulminea ingenii vi omnia perrumpunt, quorum animus in speculo positus, uno quasi intuitu, omnia simul comprehendit; quasi non sensuum ministerio, non Syllogismorum adparatu ad intelligendas res indigerent, sed geniorum instar omnia pervaderent quasi absorberent. Ita que tardius asequuntur alii, longisque preceptionibus circumducti, illi quasi volatu uno transmittunt, omniaque ipsi percipere videntur; vidimus ad certas disciplinas quosdam quasi divinitus incitatos, ea in his consecisse spatio, ut in prodigium illa res transferetur. Fuerunt ad varias artes liberales, mechanicas, statuariam, graphicam, Poësin, Mathefin, Chirurgiam, quasi a natura facti: ut nullis nisi Doctoribus, ipsi alias simplices, plebei, rustici, non raro etiam occu-

27

lorum ac lingua usu destituti, ipsos in illis rebus artifices superarent.

§. VI.

**Q**ui porro in progressu vitæ attendit ad gubernationem summi rerum Arbitri circa hominum fata, is, modo perspicacia observandi, piaqve mente gaudeat, confitebitur, DEUM melius hominibus consulere, qvam ipsi vel intelligunt vel soepe optant; Immo, non solum optatis concedit meliora, verum etiam plura & constantiora bona. Unusqvisque cui satis & luminis & bonæ mentis fuerit ad observandum ea, qvæ proprium vitæ curriculum subministravit, benignæ providentiaz documenta, insignem hoc conferre poterit symbolam exemplorum, qvæ sapientem Numinis benevolentiam confirmant. De iniqvioribus qvidem fatis & fortuna noverca multi conqueruntur; sed illi vitæ lux systema non intelligunt; divinos fines & agendi rationes ignorant; omnia proprio sensu & cerebello dijudicant, & passionis dominantis gustu metiuntur. Sed & aliorum iudicio, inqves, non æqua omnium sors est; Multi e.g. prope dormientes ditescunt enormiter; ali sum-

mo

mo nisi opes querunt, nulli labori parcunt, omnem adhibent industriam & prudentiam, spem tamen eorum fallit eventus. Boni viri sope officium aliquod ambientes, repulsam patiantur, mali vero sope emergunt; sed si adtendetimus ad exitum, optime cum illis adiutum erit, qui directionem Divinam venerantur, ejusque ductum sequuntur. Neutrorum nos intima cognoscimus; neminem aliorum iudicia vel felicem vel int licem reddunt, sed propriæ mentis constitutio compensatur exteriores rum honorum defectus aliis & posterioribus, sive naturæ sive gratiæ; pax animi immensis magis valet divitiis & honoribus; succedit tempus, quo prudentes & scientes taciti homines infinito meliora judicabunt, quæ sibi obtigerunt, quam quæ operarunt. Nemo adeo poterit ju-  
re dicere: Nihil accepi.

Advertamus ulterius mentem ad fata actiones hominum morales consequentia. Decernunt sope homunciones hoc aut illud facere, rationes etiam habent cur actiones decernant & instituant; quæ, ubi libertate homines gaudent, in foro divino vel bonæ vel malæ ha-  
bita-

habentur; effectus autem decreti ac incepti &  
boni & mali providentiam arguit divinum. In-  
exspectati tcepe si quuntur exitus; stup fronte  
mali, & boni agnoscunt vias Domini non esse  
se hominum & contra.

Edocemur quoque ex historia Providentie,  
iustitiae Divine dispensatione sibi, ut non so-  
lum poena naturalis & positiva peccatum sequar-  
tur; sed etiam ut iisdem; quibus peccavimus;  
tcepe plectamur. Cum porro vix aliquid  
mali pœna exemplum profiri possit, quod non  
simul sapientiam & bonitatem summi Guberna-  
toris arguat, discimus venerari sapientiam Dei,  
qua ex malis bonum aliquod elicere potis est.  
Fata denique adverba, cum viam sternant ad lon-  
ge plora prospera, fiduciae in Deum motivum  
habemus maximum. Quid si quis urgere ad  
hue velit, quod vulgo in hoc argumento obji-  
ci sit, experientiam, ut plurimum, docere, hos  
norum conditionem est, ut mala quævis pati-  
antur, & malorum tcepe hominum, ut omni-  
truantur felicitate? His, quæ antea dicta sunt,  
responsionis loco addimus: (a) non omnis est  
bonus qui talis habetur, (b) nec omne ma-

revera malum est, quod ita adpareat, & (y) homines mali in altum soepe tolluntur, ut la-  
piu graviori ruant. Nihil ergo hinc sequitur a-  
liud quam, cum fortuna prospera malarum acti-  
onum quandoque comes sit, omnes commoneri,  
ne rebus secundis nimium tribuant, multo mi-  
nus illis fidant, animove sine elato ; probis.  
que præterea alia majora bona, attributis Divi-  
nis convenienter expectanda deberi & in  
hac & in futura vita. Quod si remanere cuiquam  
adhuc nodus aliquis videatur, Psalm. LXXIII.  
is velim consulat, & simul bene perpendat,  
quam nos in rebus divinis valde cœcutiamus ;  
adeo ut, si uspiam, certe hic omnis nostra sci-  
entia verbum sit defectivum, cuius ultima clau-  
sula : cetera desiderantur.

## §. VII.

**S**I DEI provida cura circa nativitatem nostram  
versatur fataque vitæ dirigit, certe ne-  
que ultimam vitæ nostræ scenam deserit, quæ  
moriendi unius cujusque sortem conceravit; mors  
enim omnem terminat calamitatem. Quod  
quidem, revelationis licet lumine destitutus, sub-  
obscure vidit, eamque ob caussam afferit Cice-

ro, sapientum mortem esse a DEO immortali  
 constitutam, non supplicii causta; sed aut ne-  
 cessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum  
 quietem esse. Et alio loco: turpis, inquit, "m  
 mors & misera sapienti accidere nequic.  
 Nulli igitur dubitamus, quin proborum &  
 vitæ terminus & mortis ratio peculiari pacto a  
 DEO providente regatur; id quod insigni piis  
 solatio est. Sed versatur quoque Providentia  
 circa vitæ improborum finem: Multi pessima  
 quævis molientes a Libitina improviso sollicitan-  
 tur. Sapientissimo quoque & benevolentissimo  
 Providentia consilio nititur, quod impiis vita sub-  
 inde concedatur longior, & namq; gratiæ illis janua  
 diutis, beneplacito divino, aperta relinquitur, & piis  
 probandis alijsq; impis castigandis interviunt. Un-  
 de iterum magnum de hac veritate convictis sola-  
 men; semper enim illi bene est, qui omnibus, quæ  
 sibi accidunt adquietat, certus nihil esse quod  
 non debeatur benignæ DEI gubernationi. Quod  
 si quis a partium alienus studio & acumine judi-  
 cii debito prædius, historiam vitæ suæ in or-  
 tum progressum, & ad exitum usq; cum genuinis  
 omnibus circumstantiis consignare vellet, foret

id luculentissimum exemplum, unde patret, quam infiniti numero innotescere possent Provinciarum radix, qui nunc absconduntur, si justam ejus haberemus historiam.

§. VIII. (\*)

**P**erscrutantibus historiam populorum integrorum imperiorumque, plurimæ variaeque nobis obveniunt mutationes, quarum licet multæ ut plurimum, ex causis civilibus atque moralibus evenire videantur, gubernationem tamen sublimiorem, subesse peritissimi rerum politicarum fatebuntur. (\*\* ) Aliæ vero tam manifeste a directici superiori manu dependent, ut de eo vel qui talpa cecior est dubitare nequeat. Quotidiana loquitur experientia, effectu soepius carere callidissima consilia, & e contrario ea felicissimos et necquic exitus, qua non tam consilio, quam impetu quodam suscipiuntur. Cumque DEUS ob peccata imperio alicui interitum intendit, exceccantur prudentissimi consiliarii, ut salutaria nec inveniant, nec admittant consilia. Cum autem summus rerum Imperator incepta aliquies reipublicæ secundare voluerit, prospicit ei vi-

33

ros, quibus ad res bene gerendas fortuna ad-  
 juncta est diuinitus, quorumque voluntatibus ci-  
 ves non modo adlentiunt, socii obtemperant;  
 sed etiam venti tempestatesque obsecundant,  
 ut Cicero eleganter loquitur in Orat. pr. L.  
 Man. Cap. 16.

Preces igitur fundendas, hinc discimus,  
 pro flore regni ad Directorem imperiorum,  
 cuius nutu reges & creantur & remo-  
 ventur, & a quo civitatis est felicitas  
 vel adverta fortuna. Qui hanc gubernationem  
 intelligit, in publicis quoque calamitatibus bo-  
 no potest esse animo, uberrimosque fructus ex o-  
 minibus vicissitudinibus colligit; interque alia  
 discit, non plus, quam fas est, tribuere causis  
 secundis [\*\*\*]

(\*) *Jaques Benigne Bossuet in suo Discours sur l'Histoire universelle part. 2 pulcherrimo auctor  
 consilia & gubernationem Providentiae circa re-  
 volutions in Monarchiis sacris explicare ad-  
 gressus est; ad quem libellum, qui alias plurima,  
 eaque pulcherrima nobis suppeditatre posset, Le-  
 ctorem B. festinatione coacti remittimus.*

(\*\*) *Conringius libr. de Civ. Prudent. cap. 4.*

non sine ratione queritur: perquam pauci his  
istorici illam divinorem causam justa commis-  
moratione prosequi solent: quidam de industria  
hoc videntur agere, ut excutiant lectorum ani-  
mis <sup>et</sup> ~~et~~ curam: quod tamen Machiavellus,  
minime omnium ceteroquin religiosas, adverte-  
re potait.

(\*\*\* ) Ampl. Praefatio Gaud. Mus. Fenn. p. II.

Quando attendimus ad ea, quae ex rerum  
gestarum monumentis colligi possunt, historia  
Providentiae divine fragmenta, haud difficul-  
ter observamus, aqua quasi mensura populus  $\Sigma$   
gentibus distributa esse non tantum illa dona,  
qua ad veram felicitatem quam maxime perti-  
nent, sed etiam illa, qua minoris ad beatitudi-  
nem sunt momenti,  $\Sigma$  qua sola fere opinio-  
ne vituntur. Ita e. gr videmus fortitudinem,  
belliq fortunam tamquam per vias ad alias atq;  
alias gentes migrasse,  $\Sigma$  tractu temporis vielos  
tandem victores evassisse, atque contra terras  
triumphales servitutis iugo subditas esse. Et pau-  
lo post: quapropter discamus Providentia re-  
stigia scrutari solicite  $\Sigma$  reverenter, qua iu-  
risfirma lance dona sua  $\Sigma$  fortunam in iheris  
di-

dispensat. Et distribuit . in pietate quippe 35  
veneratione Numinis maximum consistit, quod  
ex vicissitudinibus hujus mundi reportamus, lu-  
crum.

§. IX.

**S**ED transeamus jam ad Ecclesiam, taberna-  
colum DEI, ubi nobis Providentia Div.  
illustre quam maxime theatrum pateri. Cir-  
ca N. T. initia curavit DEUS bonis li-  
teris mentes excolendas, quod lucis Evangelicæ  
progressui plurimum favit; facile enim intel-  
leclus exercitatus & exultus literis, religionem  
Christianam superstitioni ethnicae præferet. Me-  
thodus autem, quæ posterioribus seculis invaluit  
barbaras gentes arinorum vi & metu convers-  
tendi, paruni cum religionis indeo convenit:  
Cum vero Græci cultissimi omnium essent, co-  
rundem lingua erudita communis quodam mo-  
do fuit; eoque ipso propagationi Evangelii a-  
piissima; Novum igitur Testamentum eadem  
lingua scriptum, a pluribus legi ac intelligi po-  
tuit. Observamus enim ex historia ecclesiasti-  
ca, quod DEUS singulis nationibus & qualem  
quaæ evangelicæ lucis menturam concesserit, di-  
versis licet temporibus, ob tenetias & justas

rationes, nec simul & tenui, aut iisdem modis & sub iisdem circumstantiis. Subjecta donis administrantibus instructa nusquam tere desiderantur; vidimus quoque & bellandi cupiditatem & descendendi, atque peregrinandi, dirigente DEO, sancto huic scopo inservire debuisse. Maxime illustris est Evangelii propagatio facta contrariantibus frustra omnibus humanis viribus & conservatio ecclesie ubi soepe hominibus vita est impossibilis: e.g. post Diocletianus <sup>ann.</sup> persecutionem facte inscriptiones ita mentitae sunt: DIOCLETIANUS JOVIUS & MAXIMIANUS HERCULEUS CÆSARES AUGUSTI AMPLIFICATO PER ORIENTEM & OCCIDENTEM IMPERIO ROMANO & NOMINE CHRISTIANORUM DELETO QVI REMPUBLICAM EVERTEBANT, &c.

DIOCLETIANUS CÆSAR AUGUSTUS GALLERIO IN ORIENTE ADOPTATO SUPERSTITIONE CHRISTIANORUM UBI QUE DELETA & CULTU DEORUM PROTAGATO, &c. Ballac. Socrate Chrestien p. 25. seq.

Providam DEI curam circa conversionem impiorum & fidelium confirmationem experiri-

tur

tur omnes adtent. His Providentiae monimen-  
tis addimus reformationem B. Lutheri, quam  
si quis animo expenderit Christiano, aliquid di-  
vini in hoc sanctissimo negotio agnosceret. Lieet  
vitis fuerit Monachus, ea tamen, DEO proprie-  
tio, patravit, quæ superant hominum maximorum  
consilia & vires, cœlestem veritatem post diutu-  
nas tenebras in lucem protraxit. Prorsus dini-  
mam existimandum, quod cum in apricum  
emergens evangelium tota Pontificiorum natio  
magna Principum potentia subnixa omnibus  
modis premere & quasi suffocare con-  
tenderet, eandem promoverint maxime, vires in-  
crescendi suppeditaverint. Lutherus adversus furores  
mundi imperterritus semper nihil minus stetit & in  
sola divina ope spem omnem ponebat, nullam caus-  
sa, quæ DEL erat, ruinam veritus si vel universi  
orbis illabatur. Hec Providentiae documenta  
Saubertus & Danhauerus annotaverunt cfr. Rec-  
kenbergii Hist. Eccl. period. IX. sect. 3. §.“  
30. Ibit., igitur, inquit, in omnes memori-  
as tam memorabile exemplum Providentiae &  
longe venturos posteros docebit, nihil non pos-  
se perfici, quod divino suscepsum auspicio, De-  
oque auctore geritur,

**P**rodit se denique sapientissima DEI gubernatio in statu Oeconomico. Tam sapienter terrena dona dispensat DEUS, ut nemo hominum innumerabilium alimentis prorsus destituantur. Cum caritas annonæ uno existit loco, abundant frumentis alter. Quando unum deficit alimento genere, suppletur aliis ejusdem defectus. Plures homines nascuntur, quam diem obeunt supremum, ut, quasi, superpetant, qui eorum loca occupent, qui per bella, aliosque causas pereunt, atque ut loca inulta inhabentur. Si eadem celeritate genus jam humanum multiplicaretur ac ante & proxime post diluvium, tellus multitudinem illam non caperet; aliquid ergo commodi ex bellis, perversa diæta &c. maneat. Inter privatas familias modo hec ad fastigium ascendet, modo alia; modo eadem iterum descendit & cum infima confunditur plebe. Et sic per vices; adeo ut nihil fere perpetuo inter homines magnum, nihil fere semper humile; & solum DEUM maximum, providum Directorem maneat gloria sempiterna.

**A**Nequam cœlophonem Meditationi huic nostræ imponamus, Providentiam quoque div. indigitare licebit; quæ versatur circa studia eorumque fata, quæ cum rerum publicæ atque regnorum fatis magnam habent convenientiam. (\*)

Veritas, quamvis sit una eademque, diverso tamen habitu, diversis temporibus incedit. Nunc preferuntur observations historicæ speculatiōnibus, nonc haec illis; alio iterum tempore utræque conjunguntur. Hoc intervallo floret una scientia, alio rursus alia; & tamen singulæ scientiarum partes alicui sunt usui. Singulis seculis & æratibus prospexit Providentia, ut existent bonarum artium cultores. Nec secula barbaræ experti panius tuere hujus beneficii, quin singula aliquid in commune contulerint bonum. Taliis est Chemia, licet, pro eorum temporum conditione, inculo habitu, clara tamen existit in societatem humanam meritis; curiosissimi peregrinatores plurima gentibus, quæ nobis barbaræ dicuntur, accepta refuntrunt. Justa quasi forte unicuique civitati bona ingens, terra quibuslibet ac temporibus tributa fuit.

Nullus locus est, qui ingenium aliquando non protulit magnum; hinc singulæ terræ, singula secula suis eminent inventis. (\*\*)

Crevit autem sapienti ordine eruditio; ne subtleria prodigerentur rudioribus temporibus, suspiione malarum artium oneranda, eadem matutioribus reservavit Numen. Illustrior adhuc evadit providentia considerantibus plurima ea, su & fortuna, inventa esse; immo a rudibus literarum, quod mirandum; ita tamen, ut unum alteri viam straverit & prius sequenti fundamento fuerit & auxilio. Eo minus autem hic scientiarum successionis ordo hominibus debetur, quo magis in futuris coecutiunt. Sed Providentiam circa studiorum promotionem divinam explicit plenius Ampl. Dn. Praes, Oratione ante hos sex annos habita; ad quam plura desiderantes remittimus.

(+) Aiquid divini occurrere in omnibus scientiis, & circa earum inventionem, propagacionem atque revolutiones, multis probat luculentissimis exemplis, saepius ante a nobis laudatus Morhof:

(\*\*) Cui non deprebenduntur certa in artibus inv.

ventis periodi & revolutiones? Nostra secula  
divinum typographie beneficium habuerunt,  
quod ab omni aeo fatali quodam sigillo ab-  
seceditum fuit. Illa pulveris pyrii ars quoque  
nunc in lucem prodiit, quasi orbis extremo  
incendio praluderet. Idem cap. XII. §. 4.

§. XII.

**S**ed nos tandem, cum celeberr. Morhofio,  
manum de hac tabula, ad illum Dei digi-  
tum, qui simmeis characteribus sapientiam suam  
apostolorum animis inscripsit, intendimus. Inde  
nos ardenteris precibus eius illud, sine quo  
imperio sua decet scientiis, spiritus ille venit,  
qui nos ducet in omnem veritatem & per or-  
bium coelestium aliquando circum-  
ducet; Ille nos Philosophos faciet, sapientiam,  
quæ hominibus stultitia est professo; Mathema-  
ticos, qui longitudinem, latitudinem, altitudi-  
nem Amoris divini metiantur; Politicos, qui  
maxima suum in ecclis querant; Grammaticos &  
Oratores, qui aliquando pœnitentia intelligant;  
Poëtas & Musicos, qui etiam suum cum omni-  
bus beatarum mentium choris insonare nunquam  
desistant.

TIBI

Ol' cunctarum Rerum Moderator, sit Soli Laus &  
Gloria Sempiterna!

Clarissime Da. CANDIDATE,

Suum Numen semper & ubique ut vene-  
rari debemus, ita agnoscere possumus; cui Cre-  
atorem, quando ad primum ortum omnium re-  
rum respicimus; cui Moderatorem, quando sa-  
pientissimam earum gubernationem contemplamur.  
Quem autem fructum pius observator ex attentio-  
ne ad vestigia & documenta Providentiae divine  
capere posse, hoc Tu, Cla. Dn. Candidate, in  
egregiis Tuis Dissertationibus optime explicasti.  
Argumentum omnibus hominibus est utilissimum,  
Christianis dignissimum. Omnes igitur Candidi  
laudant opus hoc laudant eruditissimum, virtutem  
atque pietatem Tuam. Gratulor & ego Tibi  
labores Academicos feliciter exaltatos, lauream-  
que, qua Te prozediem vidabimus exornatum.  
Faveat ultius providentia Numinis benignissima  
honestis Tuis conatibus in his terris, & tandem,  
deposita laurea terrestri, heet Te corona vita im-  
marchescibili!

Sic sincero animi affectu  
gratulatur.

Otto R. Nordstede